

Oratio Creationis

nias, quid dubites, naturaliter insitum esse cunctis honoris stimulum.

*Non facile inuenies multis ex millibus vnum,*

*Virtutem pretium qui putet esse sui:*

*Ipsè decor, recti facti si premia desint,*

*Non mouet & gratis pœnitet esse probum.*

Cato, Romanorum prudentissimus præclara facta præclaris decoranda orationibus demonstrauit, ne honore defraudata Virtus torpesceret, vt scribit Plutarchus. Atqui sicut qui esuriunt, magis irritantur, si conspexerint alios edentes, ita magis ad virtutem & res præclaras incitantur, qui honoris sunt auidi, si alios ob rectè facta laudari audiant.

Si nihil diceretur aliud, neminem futurum esse crediderim, qui non existimet, eum, qui honores de Republica tollit, honestis ingeniorum conatibus neruum incidere, virtuti calcar adimere, ignauiae puluinar subicere. Veruntamen, si quid ex superioribus hæret, quod de vanitate honoris ex grauissimis Authoribus adductum est, equidem fatendum, honorem sæpenumerò vanum esse, eum scilicet, qui fundamento virtutis destituitur, siquidem honor ex eorum est numero, quæ in varia subiecta solent incidere, modò rectè, modò perperam: Verùm, sicut nemo diuitias aut potentiam aspernatur ideò, quia hæc prauos sæpenumerò possessores nanciscantur: ita honores eadem de causâ nemo repudiandos existimabit. Nam vt grauitèr alibi scripsit Tullius: Non minùs est leuis animi, lucem splendoremque fugientis, iustam gloriam, quæ fructus est veræ virtutis, repudiare, quàm inanem aucupari rumorem, & omnes umbras etiam falsæ gloriæ consecrari. Quin etiã nec in mortuos vanè

nè